

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5375

**Auteur(s) :** Eustache le Cordelier, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1289, 16 août

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'évêque Eustache [le Cordelier] et le chapitre de Coutances vidiment et ratifient la donation faite par Robert d'Harcourt au chapitre du manoir et du tribunal (cohue) de Valognes. De plus, l'évêque continuera à percevoir une rente de cinq sous sur le manoir d'Yvetot.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 132, p. 259.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris Frater E[ustachius], permissione divina Contantiensis ecclesie minister humilis, ac ejusdem ecclesie humile capitulum, salutem in Domino sempiternam. Litteras venerabilis viri et discreti magistri Roberti de Haricuria, canonici nostri ac de Costentino in prefata ecclesia archidiaconi, vidimus formam que sequitur continentes :

« Universis hec visuris, R[obertus] de Haricuria, archidiaconus de Costentino in ecclesia Constantiensi, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus nos viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensi manerium nostrum de Yvetot cum gardino et omnibus appendiciis et adjacentiis ejusdem et cohua nostram de Valoniis, que predicta nobis bone memorie Galterus, Silvanectensis episcopus, olim predecessor noster in archidiaconatu predicto, vendidit, in perpetuam elemosinam dedisse et concessisse intuitu caritatis ad obitus Johannis et Aelisie, parentum seu progenitorum nostrorum et nostrum, post mortem nostram faciendos, quia vero prefatum manerium et cohua, per quam necessaria sunt archidiacono dicti loci qui pro tempore fuerit, volumus et ordinamus quod nos et successores nostri qui pro tempore fuerint in archidiaconatu predicto habeant ea pro quatuordecim libris tur. in festo Omnium sanctorum singulis annis solvendis capitulo memorato pro dictis anniversariis faciendis. De qua pecunia canonicis presentibus centum solidos et clericis quadraginta solidos tur. ex nunc distribui volumus in obitibus dictorum parentum nostrorum, prout moris est in ecclesia Constantiensi, sollempniter annis singulis quinto die novembris decetero faciendis. Post obitum vero nostrum septem libras alias eodem modo distribui volumus post mortem nostram per octo dies ante diem obitus nostri. Volumus eciam et ordinamus quod dicte septem libre in anniversariis dictorum parentum nostrorum et alie septem libre post mortem nostram in die anniversarii distribuantur canonicis et clericis Constantiensi ecclesie sepedicte, supplicantes venerabili patri nostro E[ustachio], Dei gratia Constantiensi episcopo, ac capitulo memorato quatinus ex nunc annectantes archidiaconatui supradicto manerium et cohua sepefatam pro pensione predicta nostram donationem et ordinationem predictam,

quoad premissa, omnia et singula approbent et confirment. Datum Constantiis anno Domini M° CC° octogesimo nono, in crastino beate Marie Assumptionis Virginis. »

Nos vero [viri] capitulum Constantiense perpendentes in omnibus premissis utilitatem ecclesie Constantiensis et archidiaconatus predicti, supplicationi dicti archidiaconi acquiescimus et omnia et singula supradicta rata et grata habemus, laudamus ac eiam approbamus ; et nos predictus episcopus omnia premissa et singula, de consensu et voluntate expressa nostri capituli Constantiensis sepedicti, auctoritate ordinaria, confirmavimus manerium, super quod quinque solidos tur. nobis et nostris successoribus annuatim debitos retinemus, et choquam sepefactam pro pensione predicta dicto archidiaconatui annectentes. Volumus eiam et ordinamus nos episcopus et capitulum predictum quod archidiaconus qui pro tempore fuerit in archidiaconatu predicto teneatur juramentum prestare in sua receptione capitulo dicto quod manerium et choquam sepedictam manutenebit in statu eque bono prout invenerit et quod dictas quatuordecim libras solvet communiario Constantiensi in terminis supradictis, prout in ordinatione annotata superius continetur. In quorum omnium testimonium, nos episcopus et capitulum predictum sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum Constantiis, in nostro capitulo generali, anno et die predictis.